



**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Capitvlm VI. Cùm Causa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](#)

lumniandi promissio , aut juramentum de veritate sufficere videatur , præfertim in causis non arduis , tum consuetudine præfertim immemoriali , l. De juram. Calumn. abrogari potest . cap. ult. de Consuetud. Potest etiam aliter explicari hoc capitulum , nimirum non posse per consuetudinem introduci , vt judice vel ad instantiam partis , vel ex officio , juramentum Calumniæ exigente , ob causam quæ ipsi justa visa est , recusari queat , potest tamen per consuetudinem introduci , vt si pars non exigat , judex ordinariè hoc juramentum non deferat . Argum. cap. 1. loco citato in 6.

CAPITVLVM VI.

Cùm Causa.

PARAPHRASIS.

Controversia erat inter Archiepscopum Ravennatensem & Commune Faventinum , quam Innocent. III. quibusdam judicibus delegarāt , qui cùm in negotio procedere cunctarentur , causam avocauit , & partibus contendentibus mandauit , vt apud Sedem Apostolicam comparerent , cùm itaque Procuratores partis vtriusque , cum mandatis de rato adessent , jussit Pontifex petitionem Archiepscopi per Procuratorem eius exhiberi alteri parti , ad cùmque responderi , atque factis quibusdam interrogationibus ac responsionibus , sìisque in scriptum redactis , adeoque lite coram Pontifice plenissimè contestat à Procuratoribus Calumniæ juramentum vtrinque exigi.

SUMMARIUM.

1. *Delegans potest , non tamen solet facile à delegato avocare causam:*
2. *Syndicus etiam vocari potest Procurator.*
3. *Vt interrogations Rei sunt , potest Actor petere ante libelli oblationem.*
4. *Et adhuc etiam post contestatam item.*

Nota I. Si judices delegati causam ex-pedire recusent , justa adest ratio , vt delegans illam ad se revocet , vel aliis committat , at verd sine causa quamvis possit Superior , non tamen facile solet causam delegatam revocare . Ut dixi tit. de Offic. delegat.

Nota II. Syndicus Universitatis , vocari etiam potest , Procurator , ita sumitur ex textu . Nam Procuratores istos non fuisse specialiter constitutos ad illam causam , sed generaliter ad omnes causas , tum Archiepscopatus tum Communis Fave-tinæ , adeoque fuisse Syndicos exinde colligitur , quia juramentum eorum , in propriam animam partibus principalibus absentibus tanquam sufficiens receptum fuit . Videatur Cap. Petitione vestra . 9. De Procuratoribus .

Nota III. Actor pro plena libelli formatione & actionis expressione ante item contestatam petere potest , vt per Iudicis officium Reus interrogetur de aliquo facto , v. g. vtrum pro hærede defuncti se gerat , & ex quotâ parte hæres sit ? Ita glossa hic , verb. Interrogationibus . Porrò consultum esse monet Panorm. hic n. 19. vt Actor ante libelli oblationem petat interrogationem formari , v. g. Num Reus conventus possideat , vt sciat Actor qualē actionem edere debeat , non prohibetur tamen etiam post libellum oblatum petere vt Reus interrogetur , imò etiam post litis contestationem , uti docet glossa in l. Qui petitorio . 27. ff. De Rei Vind. vel quia dubium ad causæ decisionem postea emergit , vt docet Durandus de Positib. §. 4. n. 3. vbi bene addit , quod judex etiam postquam in causa conclusum fuit , ex officio partes interrogare possit , si dubium occurrat super actis antecedentibus , de quo informari debeat , ad sententiam justè ferendam . Ita habetur expressè in cap. Cum Ioannes . 10.

De fide Instrumentorum.

rum.

p. 3

CAPI-